

tur emphyteuta, etiamsi nullos fructus ex re perceperit: cum hic pensio non detur ratione fructuum, uti in locatione-conductione merces, sed in recognitionem directi domini. Quod si tota res perierit, non debetur jam pensio ulla, cum nihil sit, cujus nomine prestatur: & propterea damnum erit solius domini directi, partis verò interitus soli nocet emphyteutæ.

*Quid, si emphyteuta cesset solvere canonem?*

Tunc quidem, si cessaverit per triennium in emphyteusi sæculari sive privati hominis, vel per biennium in emphyteusi Ecclesiæ, cadit jure suo, & expelli potest. (1) Quæ in parte rigidius agitur Jure Canonico, quam Civili: cujus tamèn rigor in eo temperatur, quòd Canones moræ purgationem admittant, quam non admittit Jus Civile.

## TIT. XXVI.

## DE SOCIETATE.

*Quid est Societas?*

**E**ST contractus consensu initus, quo, inter duos, pluresve, res atquè opera circa lucrum & damnum communicatur. (2) Cùm ergo mutuo consensu contrahatur, non potest is dici socius, quem in societatem non admisi. (3) Ideò quem meus socius admittit, illi tantùm socius est, non mihi. (4)

In hoc contractu hæc duo potissimùm considerantur: lucrum, quod scilicet superest, deductis impensis

(1) L. 2. C. b. t. de jur. emp. c. fin. in filius extrà b. t. (2) §. 2. b. t. (3) L. 30. ff. eod. (4) L. 47. §. 1. ff. de R. l.

sis; & damnum, quod abest, deductis impensis.

*Quomodò differt à Communione?*

Quod Communio sit rerum; Societas personarum: quod Communio sit facti; Societas juris; (1) Nam in Communione reipsa, & ipso facto fiunt socii; estque necessaria ea societas, quam fortuna conciliat, non voluntas, veluti si duobus communiter hæreditas, vel donatio aliqua obvenierit; vel una & eadem res fuerit legata.

*Quotuplex est Societas?*

Duplex; alia *Universalis*; id est, totorum bonorum; alia *Specialis* sive *Particularis*, unius alicujus negotiationis, veluti olei, vini, &c. (2) In universorum bonorum societate hoc est singulare, quod omnes res quæ contrahentium sunt, communicentur, etiam sine traditione. (3) Ratio est in difficultate traditionis rerum universalium: & hoc ita quoad res jam acquisitas; nam acquirendæ, ut communicentur, desiderant traditionem. Simpliciter & indefinite contracta societas, tantùm earum rerum esse intelligitur, quæ ex quæstu veniunt: id est, negotiatione & opera, non etiam quæ ex donatione vel legato acquiruntur, quia ex res ob meritum accedunt.

*Quales in Societate debent esse lucri & damni partes?*

Si nihil de eo nominatim convenerit inter socios, partes æquales & in lucro & in damno spectantur; (4) pro ratione sortis & quantitatis deductæ in societatem, proportionem non Arithmetica, (ut

Dd

qui-

(1) L. 31. & 32. ff. b. t. l. 1. & §. 2. ff. Com. divid. (2) L. 3. & 73. ff. b. t. (3) L. 9. ff. eod. (4) §. & quidem.

quidam volunt) sed secundum communem & veram sententiam, Geometrica, ut, qui plus contulit, plus accipiat: (1) v. g. si primus contulit centum, secundus quinquaginta; & si in lucro sint duodecim, primus ex his duodecim feret octo, secundus quatuor. (2) Si verò ab initio convenerit de partibus, ex servari debent, dummodo socius, qui plus ex conventionem accepit, etiam plus in societatem conferat, vel pecuniæ vel operæ, vel cujuscumque alterius rei causa, putà gratiæ. Undè valet conventio, ut ad unum ex sociis duæ vel tres partes & lucri & damni pertineant, ad alium tertia.

*Quid si partes fuerint expressæ in lucro solo?*

Eodem tacite censentur constitutæ etiam in damno, & vice versa: nam sicuti lucrum, ita damnum, commune esse oportet. (3) Et æquum est, ut cujus participavit lucrum, participet & damnum.

*Valeat ea conventio, ut quis duas partes lucri, & damni tertiam capiat?*

Quintus Mutius contra naturam societatis talem conventionem esse existimavit, & ob id non esse ratam habendam, quasi vera amicitia & societas esse non possit, nisi æqualiter res communicentur. (4) Contra sensit Servius Sulpitius, cujus sententia prævaluit, quia sæpè quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti: (5) v. g. si quis solus navi-

git,

(1) L. 29. ff. b. l. (2) §. 2. b. l. 30. ff. cod.

(3) §. Illud h. l. §. 4. ff. cod. l. 10. ff. de R. I.

(4) §. De illa 3. (5) L. 29. §. 1. ff. b. l.

git, solus peregrinetur, solus pericula subeat, si valeat solertia, gratia, industria.

*Valeat conventio, ut unus pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum commune sit?*

Ita coiri posse societatem non dubitatur: quia sæpè opera alicujus pro pecunia valet. (1) Et pretium operæ artis est velamentum. Imò interdum tanta est industria, operaque socii, ut plus societati conferat, quam pecunia, tamque pretiosa, ut quis lucri partem ferat, de damno non teneatur. (2) Potest enim quis pactione conditionem suam meliorem facere.

*Sed quomodo inhibetur ratio lucri & damni?*

Respondet Imper. Si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit, compensatione horum inter se facta, id solum, quod superest, intelligi lucro esse dividendum inter socios pro rata. (3) Hoc est, lucrum id demum intelligi, quod in societate reliquum est omni damno deducto; & damnum, quod, deducto omni lucro, superest.

*Quid, si convenerit, ut unus solus damnum sentiat, alter omne lucrum?*

Conventio hujusmodi, quia societati contraria est, omnino reprobatur, & à Cassio tamquam leonina & inutilis rejicitur; cum iniquissimum genus societatis sit, ex qua quis damnum, non etiam lucrum expectet. (4)

Di 2

Qui-

(1) §. Nam & ita l. §. 1. l. 6. & §. 2. ff. b.

(2) L. 1. c. cod. l. 30. ff. b. l. (3) Vers. quod tamen & di. l. 30. (4) L. 29. §. ult. ff. b. l.

*Quibus modis solvitur Societas?*

I. *Dissensu mutuo, vel Renuntiatione unius è sociis.* (1) Idque receptum est, ad sedandam discordiæ materiam, quam necessè est exoriri si quis invitus societati adstringatur. Sed multum refert, quomodo & quando quis renunciaverit: nam si callidè, aut intempestivè idèd renunciaverit societati, ut lucrum sibi fortè obveniens solus auferat, cogitur hoc lucrum communicare cum sociis. (2) Si verò damnum attulerit hæreditas, hoc ad eum qui renunciavit, pertinebit; (3) ipse enim se circumvenisse videtur.

II. *Morte unius è sociis.* (4) Idque idèd: ne quis alicui socius fiat, quem non vult sibi socium, cùm in societate versetur personæ industria ac fides. (5) Cogitur tamèn hæres socii, quamvis socius non sit, nec successor societatis, ea, quæ per defunctum inchoata sunt, explicare: uti & commoda, eidem acquisita, jure sibi cedi postulat.

III. *Finis negotio:* (6) cum ampliùs non supersit materia, & sine obtento cessent media. Quod ita procedit in speciali societate, certi alicujus negotii, non item in universali. (7)

IV. *Publicatione,* scilicet, si universa bona socii publicentur. Nam, cùm in ejus locum alius succedat, nimirùm Fiscus, pro mortuo habetur. Dico,

(1) §. *Manet, b. t.* (2) *L. 65. §. 1. & 5. ff. eod.*  
 (3) *L. 155. ff. de R. l.* (4) §. *Solvit.* (5) *L. 4. ff. eod.*  
 (6) §. *Item si alicujus.* (7) §. *Publicatione dicit. l. 65. §. 12.*

*si universa bona:* quia, si pars tantùm publicetur, manet societas in reliquis bonis.

V. *Cessione bonorum,* (1) si quis è sociis ære alieno pressus cesserit bonis suis, quia sic ampliùs non supersunt bona, sine quibus contrahi societas non potest. (2) Sed hoc casu, si adhuc post cessionem in societatem consentiat socii, nova quasi videtur incipere societas, propter bona futura; qua is, qui bonis cessit, non prohibetur sibi in posterum acquirere.

*Que actio ex hoc contractu nascitur?*

*Actio Pro socio,* utrimque directa, quæ cuivis è sociis datur, & in quemvis: nec est societas actio aliqua contraria, ut in aliis contractibus, qui consensu ineuntur, quia sociorum omnium par est conditio, & mutua obligatio; Itemque juris effectus omnibus communis. (3)

*Ad quid socius socio tenetur?*

In primis, quia bonæ fidei hæc actio est, idèd in eam veniunt omnia, quæ alterum alteri ex bono & æquo præstare convenit: (4) ut scilicet quod quisque ex societate penès se habet, id in medium conferat; (5) ut lucrum pro æquis partibus, vel aliis, de quibus convenerit inter contrahentes, communicetur; ut damnum, quod quis sua culpa dedit, resarciatur. (6) Nam cùm utriusque gratia so-

Dd 3 cie

(1) §. *Item si quis.* (2) *L. 1. & 4. c. qui bon. ced. poss. l. 6. ff. de cess. bon.* (3) *L. 148. ff. de R. l.*  
 (4) §. *Fin. b.* (5) *L. 3. ff. b. t.* (6) *L. 52. §. 2. & 11. ff. eod.*



cieras contrahatur, non tantum dolus, sed & culpa hinc inde praestanda venit non solum lata, quae dolo proxima esse dicitur, sed & levis, non item levissima, idque ex generali illa ratione, quod hic utriusque contrahentium vertatur utilitas, ut in empto, in locato, in dote, in pignore, (1) Sufficit igitur, si talem diligentiam communibus rebus adhibeat socius, qualem suis rebus adhibere solet. (2) Unde qui minus diligentem socium adsumit, de se queri, sibi que hoc imputare debet: *Quia qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet, non ignarus conditionis ejus.*

## TIT. XXVII.

## DE MANDATO.

*Quid est Mandatum?*

**M**andatum est contractus quo quis bona fide negotium aliquod alteri gratuito gerendum committit. (3) Obliganturque ex hac conventionem utroque & mandator, qui negotium alteri gerendum committit, & mandatarius, qui exequendum suscepit: ille, ut hunc indemnem servet: hic, ut negotium susceptum impleat: & quidem gratuito, quia non fert hic contractus mercedem, cum originem ex officio atque amicitia trahat, contraria vero amicitia sit merces: (4) nam interveniente pecunia, res ad locationem & conductionem potius

res-

(1) L. 23. ff. de R. I. (2) L. 19. ff. de R. I. (3) L. 1. ff. b. t. (4) §. ult. b. t.

respicit. Igitur si quis fulloni polienda curandave dederit vestimenta, aut sarcinatori sarcinenda, nulla mercede constituta, neque promissa, mandati competet actio non locati.

*Qualiter contrahitur Mandatum?*

Mandatum contrahi potest vel Expresso, sive verbis expressis, veluti *Volo, Rogo, Mando*: vel Tacito: quod fit per patientiam, aut ratihabitionem: (1) per patientiam, cum quis non prohibet, sed tacet, censetur enim consentire: per ratihabitionem, dum quis ratum habet, quod gestum est. Item Mandatum, & in diem differri, & sub conditione fieri potest, sicut & ceteri contractus. Procurator similiter, in diem sub conditione, & usque ad diem dari potest: cui similis est mandatarius, qui suscepto mandato procurationem suscepisse dicitur, atque utriusque nomine datur mandati actio.

*Quibus modis contrahitur mandatum?*

Quinque potissimum modis. (2) I. *Gratia mandantis tantum*: veluti si tibi mandem, ut aliquid mea gratia facias. II. *Gratia utriusque*, & mandantis & mandatarii: ut si mandem tibi aliquid, quod utriusque nostrum respiciat utilitatem. III. *Gratia aliena tantum*, si tibi mandem, ut Titii negotia geras. IV. *Gratia aliena & mandantis*: si alicui mandem, ut mihi & Titio domum emat. V. *Gratia tua & aliena*: si mandem tibi, ut Titio pecuniam sub usuris credas.

Dd 4

*Quid,*

(1) Dist. l. 1. 18. ff. cod. l. 60. ff. de R. I. & c. 43. cod. in 6. (2) §. 1. b. t.

*Quid, si tua tantum gratia sit mandatum?*

Supervacuum est hujusmodi mandatum: (1) v.g. tibi mandavi, ut pecunias tuas in emptionem potius prædiorum colloques, quam fœneres, vel è diverso: magisque consilium est, quam mandatum: & ob id minimè obligatorium, cum liberum cuique sit, apud se explorare, an sibi expediat consilium, nisi consilium fuerit fraudulentum, quia fraus continet delictum, quod non debet esse impunitum. (2) Quod si quis mandaverit, alicui, ut pecunias suas Titio fœneret, obtinuit hoc casu obligatorium esse mandatum: (3) faciet enim commemoratio personæ certæ, ut ea res in verum mandatum transeat.

*Quæ est materia mandati, sive, quæ res mandari possit?*

Res licitæ & honestæ: (4) nam rei turpis nullum est mandatum, nulla obligatio, nec actio ulla, quæ competere vel mandati, vel mandatario eo nomine possit. (5) Turpia enim pro impossibilibus habentur, quorum nulla est obligatio: nec actio. Nam cum proprium cuiusque delictum punitur, qua fronte potest desiderari actio? Huc pertinet regula: *Quod à quoquam pœna nomine exalium est, id eidem restituere nemo cogitur.* Debet enim de se queri, & non alii imputari: qui aggressus est rem illicitam, & ad quam non erat ullo juris vinculo obligatus. (5) Quod si autem quis ex mandato alterius quid turpe

ad.)

(1) §. *Tua tantum* l. 8. c. de dolo. (2) L. 47. ff. de R. I.  
(3) L. 6. §. 4. ff. h. t. (4) §. *Illud quoque*. (5) L. 6.  
§. 3. l. 2. §. 6. h. t. (6) L. 46. ff. de R. I.

admiseric, tam mandans, quam mandatarius, erit obligatus ad poenam.

*Quæ est forma mandati: sive ad quid potissimum obligatur mandatarius?*

I. Ut susceptum à se mandatum fideliter diligenterque impleat & exequatur: (1) voluntatis enim est, suscipere mandatum: necessitatis, consummare. Aliàs succedit obligatio, quæ omnibus faciendi obligationibus est communis, in id quod interest.

II. Ut non excedat fines mandati: (2) nam qui excedit, aliud quid facere videtur, sibi que imputare debet, si negotium ratum non habeatur. Quare, si rem mandatam vendi centum aureis jussam mandatarius distraxerit minoris, non tenetur rem ratam habere mandans, nisi suppleatur pretium.

*Quid si quis jussus emere fundum certa summa, excedat eam summam: competeatne illi mandati actio?*

Sabinianis placuit, inutiliter cum acturum, etiam ad præscriptam quantitatem. (3) Ratio posita erat in stricto jure, quod qui excesserit fines mandati, aliud quid fecisse videatur. Proculejani verò existimabant usque ad summam, mandato comprehensam, mandatarius rectè agere; & hæc sententia ut benignior, prævaluit. Nam qui mandavit alicui, ut sibi fundum emeret centum aureis quem is emit centum viginti, hoc saltè voluisse videtur, ut centum aureos sua causa in emptionem collocaret. (4) De eo igitur meritò tenetur, ut maximè non teneatur de superfluo.

*Quid,*

(1) §. *Is qui exequitur*. l. 17. §. 1. ff. commod.  
(2) L. 5. §. 1. ff. diff. t. (3) *Dijct.* §. qui. (4) L. 3. 4. ff. h. t.

*Quid si minoris emerit?*

Mandatum hoc valere inter omnes, constat. (1) Etenim qui mandat alicui, ut sibi centum aureorum fundum emat, is utique mandasse intelligitur, ut idem fundus quinquaginta aureis, aut minoris, si possit, ematur: quandoquidem major summa commpectatur minore, & emptoris hoc sit votum, rem vilioze pretio emere, & venditoris cariore distrahere.

*Quibus modis solvitur Mandatum?*

I. *Revocatione mandatarii*; (2) cum ipsius plerumquẽ causa mandatum fiat, & quisque suo favori renuntiare possit; dummodò adhuc integra res sit; id est, si mandatarius nondum cõperit mandatum exequi, tunc enim mandatarii nihil interest. (3) Nam re non integra nemo potest renuntiare semel contractæ obligationi, adversario non consentiente, nequẽ mutare consilium suum in alterius injuriam.

II. *Morte alterutrius*; (4) re similiter integra, sive mandato adhuc integro, quia electa est certi hominis fides atquẽ industria, quæ non eadem est in hærede mandatarii, nequẽ eadem voluntas censetur in hærede mandatoris: nisi mandatum alicui sit, ut post mortem fundum emat, vel quid aliud faciat quod demùm post mortem incipit, & competit mandati actio hæredi. (5) Attamen si quis executus fuerit manda-

tum;

(1) *Vers. quod si minoris*, l. 8. C. de resc. vend. l. 27. ff. de R. I. (2) *S. Rectè quoquẽ*. (3) *L. 5. C. de oblig. & action. l. 75. ff. de R. I.* (4) *S. Item. si adhuc*. (5) *L. 12. S. ult. l. 15. ff. b. t. l. 34. S. 3. & l. 51. C. de solut.*

tum, ignorata probabiliter morte mandantis, tenet, ne quis ex officio suo sentiat damnum. Similiter & solutio, ab ignorante extinctum esse mandatum facta, susinetur ex æquitate, eique mandati actio datur.

III. *Renuntiatione mandatarii*. (1) Nam licet mandatarius susceptum semel mandatum consummare teneatur, tamen ut mandanti conceditur revocare, ita & mandatario liberum esse debet renuntiare, ne contractus clauderet: (2) dummodò tempestivè renuntietur, & integrum jus mandatori reservetur, vel per se, vel per alium, eandem rem commodè explicandi. Aliàs tenebitur adimplere mandatarius, aut præstare, quod mandatoris interest: nisi intercesserit causa, aut non renuntiandi, aut non tempestivè renuntiandi.

*Ex hoc contractu qua actio nascitur?*

Actio mandati, *Directa*, & *Contraria*. (3) *Directa* datur ei, qui mandavit, ejusque hæredi, adversus mandatarium, ad implendum mandatum, vel aliàs, si non impleatur, ad præstandum id, quod mandantis interest: item ad præstandum dolum & omnem culpam, latam, levem, atquẽ etiam levissimam, secundum plerosque, argumento negotiorum gestoris, qui similis est mandatario. Nam aliena negotia exacto officio geruntur, nec quicquam in eorum administratione neglectum culpa vacuum est. Alii veriùs putant mandatarium ad exactissimam diligentiam, & consequenter ad culpam levissimam, non teneri, sed ad levem damtaxat, ad quam

(1) *S. Mandatum*. (2) *L. 22. S. ult. ff. b. tit.*  
(3) *L. 6. S. 1. l. 8. S. 6. l. 10. ff. & l. 16. & 20. C. b. t.*



quam communiter restringitur nomen *culpa*: (1) nam culpa levissima in plerisque attribuitur casibus qui à nemine præstatur, nisi casum culpa præcesserit, mandatarii scilicet, vel aliter placuerit contractibus.

*Actio mandati* Contraria datur mandatario, ejusque hæredibus, adversus mandatorem, ejusque hæredem, ut agnoscat & ratum habeat id, quod suo nomine gestum est, utque sumptus & impendia, mandati exequendi gratia facta, præster, unà cum usuris post moram: (2) vel etiam antè, si pecuniam, quam impedit, vel ab alio sub usuris sumpsit, ab eo, qui eam ipsi sub usuris debebat, exegit.

## TIT. XXVIII.

DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ QUASI  
ex contractu nascuntur.

Rationem ordinis proponit statim ab initio Imperator, nempe post obligationes, quæ propriè nasci ex contractu intelliguntur, dispiciendum etiam esse de iis obligationibus, quæ quasi ex contractu nasci videntur.

Quis dicitur Quasi contractus?

Quasi contractus est negotium sive factum omne non turpe, quo sine ullo tractatu aut conventionione is, qui

(1) L. 13. & 21. C. eod. (2) L. 12. §. 7. & 9. ff. h. t.

qui fecit, vel alium sibi obligat, vel ipse alteri obligatur. Dico non turpe; nam si factum, contineat turpitudinem, erit delictum, vel quasi. Dico, sine conventionione; quoniam conventionione interveniente, verus foret contractus.

Quæ igitur obligationes dicuntur nasci quasi ex contractu?

In quibus nulla est conventio, nullus consensus reciprocus, qui solus verum constituit contractum ultrò citròque obligatorium, sed unius tantum ex facto nascitur obligatio: qui quidem hoc modo consensum suum accommodare dicitur huic quasi contractui: alter verò juris tantum interpretatione, ejusque consensum supplet ipsum jus.

Quot sunt ejusmodi obligationes?

Hoc titulo quinque recensentur: *Negotiorum gestio*, *Tutele administratio*, *Communio rerum*, *Hæreditatis aditio*, *indebiti solutio*. Sunt quidem & alix, ut *Litis contestatio*, quasi contractus ex auctoritate *judicati*, *jurisjurandi*, & alix plurimæ: verum Imperator hic de illis tantum agere voluit, quæ frequentiores sunt in hominum commercio.

## DE NEGOTIO GESTO.

Quid est Negotiorum gestio?

Est quasi contractus, quo quis negotia absentis atque ignorantis gerit sine mandato. (1) Dico ignorantis; nam si quis sciat negotium suum geri, & cum posset, non prohibuerit, mandasse intelligitur. Undè & hic dicuntur *absentis negotia geri*, quia absentis

ple-

(1) §. 1. l. h.

plerumque ignorare solent negotia sua geri; vix enim est, ut quis præsens negotium suum geri ignoret. Est igitur hic contractus similis mandato in eo, quod utrobique negotium geratur alienum; dissimilis verò, quod hic sine mandato, ibi cum mandato.

*Differre Negotiorum gestor à Procuratore?*

Omniò: (1) quia procurator mandato domino administrat: negotiorum gestor sine mandato negotia spontè gerit, ne pereant. Ideoque procurator habet actionem mandati: hic ex opinione gerens, non mandati, sed negotiorum gestorum actionem habet: procurator de mandantis persona semper est certus, gestor non semper est certus de persona ejus, cujus negotium gerit, eam tamen perinde obligatam habet, ac si verè cum ea contraxisset.

*Sed nonne culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti?*

Est sanè: indè tamèn non inferes rectè, nullam dandam actionem ei, qui sine mandato negotia alterius utiliter gesserit. (2) Nam de eo gestore loquimur, qui ultrò quidem se ingesserit, sed non temerè, ob utilitatem scilicet absentis. (3) Sæpè enim interest geri negotia absentium, qui fortè subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregrè profecti fuerint, quæ aliàs desererentur & perirent neminè curante vel gerente, si gestori de eo, quod impenderit, denegetur actio.

*Quæ*

- (1) L. 5. ff. de neg. gest. (2) L. 36. ff. de R. I.  
(3) *Dil.* §. 1. vers. idque h. t.

*Quæ ergo actio hinc prodita est?*

Actio negotiorum gestorum, eaque duplex, una *Directa*, altera *Contraria*. (1) *Directa* datur ei, cujus negotium est gestum, adversus ipsum gestorem, ad hoc, ut gestionis suæ rationem reddat, restituatque quicquid inde quoquo modo consecutus fuerit, unà cum usuris, & insuper præstet, si quid, non ut oportuit, gesserit.

*Contraria* datur gestori adversus dominum rei gestæ, cujus absentis & ignorantis negotia utiliter gessit, ad hoc, ut si quid de suo in rem domini impenderit, vel solverit, id ei præstetur, unà cum sumptuum factorum usuris, ne officium illi suum sit damnosum. (2) Sufficit autem negotium utiliter gestum esse, licèt ex judicio domini non successerit: & gestum fuisse animo reperendi sumptus. Nam animus donandi, & pietatis, si quæ subsit, excludit repetitionem.

*Ad quam verò culpam tenetur negotiorum gestor?*

Regulariter tenetur præstare dolum, culpam laetam & levem, sive omnem diligentiam, quam natura negotiù postulat. (3) Interdum verò etiam levissimam, uno scilicet casu, si alius diligentior commodius administraturus fuisset negotia, quem ille impediverit. (4) Imò interdum & casum, veluti si novum negotium, quod non sit solitus absens facere, ejus nomine gesserit.

DE

- (1) *Text.* hic l. 2. ff. & l. 20. C. de neg. gest. (2) L. 2.  
& alibi. ff. eod. l. 18. C. eod. l. 11. & 18. C. eod.  
(3) §. Sicut autem. (4) L. 11. ff. b. t.



*Cur Tutela obligatio quasi ex contractu oriri dicitur?*  
Quoniam inter tutorem & pupillum nullum negotium contrahitur, quia contractus fiunt inter volentes & consequentes: tutores verò dantur etiam invitis: (1) quia tamèn non ex maleficio tutores tenentur, sed ex officio, publica auctoritate imposito, ideo quasi ex contractu teneri videntur, tutores pupillis, & vicissim pupilli ipsis tutoribus, undè & mutua hoc casu sunt actiones.

*Quanam sunt actiones illæ?*

Actio tutelæ *Directa* & *Contraria*. (2) Pupillo adversus tutorem datur *Directa*, ut reddat rationem administrationis finita tutela, restituatque quod ex rebus pupillaribus apud eum residet: & damnum præster, quod vel gerendo, non ut oportuit, vel non gerendo dedit: quatenus tamèn ejus arguitur dolus aut culpa, etiam levis. (3) Tutori adversus pupillum datur actio *Contraria*, qua repetat sumpsus & impendia, bona fide in rem pupilli facta, & quæ ei propter tutelam absunt. Sufficitque similiter tutori benè & diligenter negotia gessisse, licèt, quod gestum est, eventum non habuerit.

DE COMMUNIONE.

*Reverum communio qua ratione inter quasi contractus numeratur?*

Illud manifestum fiet, si consideres, communica-

(1) §. Tutores. (2) Vide sup. l. 1. tit. in fine. (3) L. 3. S. 7. ff. de cont. tut. & b.

cari res non tantum contractu, id est, societates sed & sine contractu, sine societate quæ proprie *Communio* dicitur: (1) estque vel rerum singularium, ut si duobus pariter eadem res donata, legatave fuerit; vel juris sive universitatis, ut si duo pariter hæredes instituti sint. Quo casu si alteruter quid de suo impenderit in rem communem, tenebitur alteri non proprie ex contractu, quippe qui nihil inter se contraxerint, sed quasi ex contractu: in quem veniunt personales præstationes, quòd nimirum alter alteri præstare est obligatus.

*Quæ igitur hinc actio prodita est?*

Ex particulari communione nascitur *judicium*, si-ve *actio communis dividundo*: qua agitur adversus detinentem rem communem, ut ea dividatur, ut fructus ab altero sociorum percepti, sumpsusque in rem necessario impensi, pro parte restituantur, ut damnum dolo, aut culpa socii datum resarciatur.

Ex universali communione nascitur *actio familiariscundæ*, (2) quæ inter hæredes locum habet volentes à communione discedere, nimirum ut & res hæreditariæ inter eos distribuuntur, & præstentur ea omnia, quæ cohæres solus in hæreditatem impenderit, cæteræque personales præstationes. Undè & utraque hæc actio est mixta, partim in rem, partim in personam, de quo infra latius.

Et

DE

(1) §. Item si h. t. (2) L. 1. l. 16. l. 4. & alibi ff. fam. etc. (3) Tit. de aff.

## DE HÆREDITATIS ADITIONE.

*Ostende, eundem quasi contractum in additione hæreditatis habere locum.*

Quia hæres adeundo hæreditatem obligatur ad exsolutionem legatorum, debitorumque legatariis & creditoribus hæreditariis: (1) his quidem eodem modo, quo defunctum habuerunt obligatum, in cuius jus omne hæres succedit, legatariis verò tantum quasi ex contractu. Cum legatariis enim neque ipse hæres verè contraxit, neque defunctus, qui iis non fuit obligatus: tamen quia hæres ex maleficio non est obligatus, & interim æquitas postulat, ut aliqua sit obligatio: idè hæres adeundo hæreditatem, quasi contrahere cum legatariis dicitur, & obligatio, quæ demùm sub morte defuncti suborta fuit, confirmatur ipsa additione.

## DE INDEBITO.

*Ostende id ipsum in indebiti solutione.*

Quia qui per errorem alteri non debitum solvit, eum sibi obligat ad restitutionem: (2) non quidem ex contractu, quia nulla hæc facta fuit conventio de re restituenda, sed quasi ex contractu, perindè ac si mutuum accepisset, & idè conditione indebiti conveniri potest. Cæterò quæ respectu causæ efficientis, sive ejus qui solvit, tantum abest, ut intelligi possit propriè ex contractu obligatus, ut si certior

rem

(1) §. Hæres l. 149. ff. de R. l. l. 49. ff. de obl. & act. in l. 19. ff. de R. l. (2) §. Item is cui.

rem rationem sequamur, magis (ut supra diximus) (1) ex distractu, quàm ex contractu, possit dici obligatus esse. Nam qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potius negotium, quàm contrahat.

*Suntne causa, ex quibus indebitè solutum repeti non potest?*

Sunt secundùm veterem Juris regulam, Ex quibus inficiando lis crescit: (2) hoc est, in iis causis, in quibus aliquis inficiando, sive negando debitum, mendacii convictus in duplum condemnatur, ex iis causis indebitum solutum repeti non posse: (3) veluti, si ex L. Aquilia de damno injuria dato agatur: si de legato ad pias causas relicto, quod hæres monitus intra annum non solvens, aut inficiatus, in duplum damnatur: si ex deposito tumultus, incendii, ruinae, naufragii causa. (4) Ex quibus causis si quis indebitum solverit, non poterit repetere: quia videtur non tam per errorem, quàm sciens solvisse, & quasi transigere, ad evitandam dupli poenam, voluisse.

Tit. Ec 1

TIT.

(1) Suprà. tit. (2) §. Fin. h. (3) §. Sed furti, de act. (4) L. 1. 2. & 4. c. de cond. jud.

*PER QUAS PERSONAS NOBIS  
obligatio acquiritur.*

Tit. similis est illi, *Per quas personas singulis acquiritur*, nimirum dominium, rei: de quo supra lib. 2. Tit. 9.

*Per quas personas acquiritur obligatio?*

**P**er easdem, eadem ratione, qua dominium nobis acquiri diximus: (1) nimirum per servos & alios, potestati nostræ subjectos: ut tamen, quod per servos nobis acquiritur, totum nostrum fiat: quod autem per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit acquisitum, hoc ita dividatur, ut usufructum quidem habeat pater, proprietatem verò filio servetur.

*Quid juris est de iis, quos bona fide possidemus?*

Per eos quoque nobis acquiritur, sive liberos homines, sive servos alienos: (2) similiter per eum servum, in quo usufructum habemus: sed tantum, quæ operis suis, vel ex re nostra acquirunt. Communem verò servum pro dominica parte acquirere dominis certum est. Sed si domini unius jussu servus fuerit stipulatus, illi tantum acquirit, qui hoc ei facere jusserit.

TIT.

(1) §. 1. b. 1. (2) §. 2. & fin. b.

*QUIBUS MODIS TOLLITUR OBLIGATIO.*

Cum hætenus de modis constituendæ obligationis, tam ex contractu, quam quasi ex contractu, dictum sit; ordo postulat, ut aliquid dicamus de modis dissolvendæ, ac tollendæ obligationis,

*Quibus igitur modis solvitur obligatio?*

**S**olutio, Acceptilatio, Novatio, Dissensus. Sunt quidem plures alii modi tollendæ obligationis, ut Compensatio, Confusio, Obsignatio, Jusjurandum, Interitus rei, Pactum de non petendo, &c. sed Imperator tradere hic voluit eos tantum obligationis tollendæ modos, qui propriè sunt per distractum, ut maxime celebres & usitatos.

*Quid est solutio?*

*Solutio est naturalis præstatio ejus, quod debetur, (1) sive pecunia debeatur, sive alia res, sive etiam factum. Eaque speciatim solutio est: generatim autem solutio pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam.*

*Interestne, quis solvat?*

Non interest, (2) utrum is, qui debet, solvat, an alius pro eo: modo non suo sed debitoris, sive scientis, sive ignorantis, vel invitæ, nomine solutio fiat, cum aliena conditio etiam ignorantis & invitæ melior fie-

Ee 3

ri

(1) §. 1. b. 1. 49. ff. de solut. (2) Text. hic.



ri possit, deterior non utique. (1) Non obstat, quod dicitur *invito beneficium non dari*. (2) Hæc enim regula intelligenda, ubi principaliter & directò beneficium invito tribuitur: secus verò est, si per consequentiã commodum quis ex beneficio præstito sentiat: principaliter enim cum creditore, qui solvitur, acquiritur beneficium: non cum debitore negotiorum geritur. (3)

Præterea debet is qui solvit, licentiam habere res suas administrandi & distrahendi, quam non habet pupillus, furiosus, prodigus: qui si solverint fortè, solutum vindicari posse palàm est. (4) Factaque solutione, sive à reo principali, sive ab ipso fidejussore, liberatur & reus & fidejussor, liberantur & accessiones, puta hypothecæ, pignora.

*Cui res solvitur?*

Et ipsi creditori, & cui creditor hoc nominatim mandaverit, factamve solutionem ratam habuerit: ut procuratori, cui res omnes administrandæ mandatæ sunt. (5) Solvi quoque potest tutori, curatori, vel ei qui pro tutore negotia gerit. Ipsis verò pupillis & adolescentibus non rectè solvitur, sine auctoritate tutoris vel curatoris.

*Potestne aliud pro alio solvi?*

Aliud pro alio solvi creditori invito non potest,

vo-

(1) L. 7. C. eod. (2) L. 69. ff. de R. I. (3) L. 39. ff. de neg. gesti. l. 14. in fine & l. 15. ff. de eod. (4) L. 43. ff. de solut. l. 178. ff. de R. I. (5) L. 12. l. 14. §. 1. l. 64. ff. de solut. l. 180. ff. de R. I.

voleatì verò & consensienti potest. (1) Interdum, tamèn etiam nolenti, loco rei, solvitur ejus æstimatio: aut quia necessitas cogat, veluti cum res, quæ debita est, præstari nequit, quoniam perit, aut quia res sit aliena, quæ à domino absque magno incommodò redimi nequeat.

*Potestne solvi invito creditori per partes?*

Non potest, nisi ita sit conventum, quia solutio partium non minima solet habere incommoda: (2) veluti si quis pecuniam, pro qua reditum debet, solvere per partes velit: quia hic non eadem est commoditas creditori alium similem reditum comparandi, cum tota summa simul & semel non numeretur. Verùm licet hoc ita sit, exigentibus tamen causæ circumstantiis, humanius facturus videtur Prætor, si creditorem compellat ad accipiendum id, quod offertur, cum ad officium ejus pertineat lites diminuerè.

*Quo in loco, & die faciendæ solutio?*

*Loco convento*, non etiam alio: (3) alias non contingeret liberatio, stipulatore invito: est enim eo loco debitum, jurisque dicitur ratio, solutionem debere esse conformem obligationi.

*Die dicto*, non ulteriori. (4) Imò nec antè diem adjectum debitor tenetur solvere: potest tamèn, si velit, cum dies sit adjectus in gratiam illius, qui

Ee 4

po-

(1) Auth. Hoc, nisi C. de solut. (2) L. 3. ff. fam. erec. l. 41. §. 1. ff. de usur. Donel. ad l. 21. ff. de reb. credit. & ad l. 9. C. de solut. (3) L. 2. & 9. ff. de eo quod certò loco. (4) L. 70. & 98. §. 4. ff. de solut.

potest juri suo renuntiare: & cum continuò sit orta obligatio, quidni continuò dissolvitur: nisi aliud obstet, ut quia appareat creditoris quoque causa diem esse adjectum, tunc enim eo invito non poterit anticipari solutio.

*Oblatio, Obligatio, Deposito, habentne vim solutionis?*

Habent: modò *Oblatio* sit realis, eamque creditor accipere recuset. (1) Nam si species debita, postea absque mora aut facto debitoris, perierit, hujusmodi *oblatio* facta prodest ad liberationem. Item *Obsignatio, Depositi*que rei debita, si solemniter facta sit, id est, apud Magistratum, vel ejusmodi loco tuto, eam vim habet, ut mox liberet plenè debitorem, quamdiu is rem ad se non receperit, & sistere faciat cursum usurarum.

*Quid est acceptilatio?*

Est *imaginaria solutio*, habens scilicet imaginem veræ & naturalis solutionis, ex vi & potestate legis. (2) Vel *Acceptilatio* est liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eadem nexu liberationem. Veluti: *Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? habeo.* Undè consequens est non quamlibet obligationem tolli per acceptilationem, sed quæ verbis est contracta: cum nihil tam sit naturale, quam unumquodque eo genere dissolvi, quo colligatum est. (3)

*Numquid & alie obligationes tolli acceptilatione possunt?*

Possunt, ac tutela, si id quod alia ex causa de-

(1) L. 6. 9. & 12. C. de solut. (2) S. 1. b. t. l. 8. S. 3. ff. de accept. (3) L. 25. & 153. ff. de R. l.

betur, interveniente novatione deducatur in stipulatum, & per acceptationem dissolvatur. (1) In quam rem prodita est formula Aquilianæ stipulationis, Gallo Aquilio auctore, v. g. *Quidquid te mihi ex causa mutui, aut ex vendito, debere constat, dare spondes? Spondeo.* Jam quod ex causa mutui aut venditi debitum erat, debetur ex stipulatione, & proinde tolli per acceptilationem poterit, debitore interrogante, *Quod tibi debeo, acceptum fersne? & creditore respondente, Acceptum fero.*

*Quid est Novatio?*

*Novatio est prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem vel naturalem, transfusio atque translatio.* (2) Dico, *prioris debiti* intellige sive aliquid sit naturale, sive civile, sive honorarium. Item sive obligatio prior, re, sive verbis, sive consensu contracta sit. Dico, *in aliam obligationem*: quia novatio non solum pristinam obligationem tollit, sed & novam constituit. (3) Dico, *civilem vel naturalem*: quia ad hoc, ut prior exprimatur obligatio, sufficit, quod sequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter, ut puta si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit. (4) Et sibi imputet creditor, quòd minus idoneam personam acceperit, cujus conditionem ignorare non debuit.

Quo-

(1) S. 2. b. t. & l. 18. ff. eod. (2) S. Praterè b. t. l. 1. ff. de novat. l. 20. ff. di ff. t. (3) L. 203. ff. de R. l. (4) L. 19. ff. eod. tit.

*Quotplex est?*

Duplex: (1) alia *Voluntaria*, quæ fit per stipulationem: alia *Necessaria*, quæ fit per litis contestationem, per quam quasi contrahitur: & secuta condemnatio, facit actionem pristinam converti in actionem iudicati.

*Quot modis fit novatio?*

Duobus modis: I. *Interventu novæ personæ*: quo casu nova nascitur obligatio, & prima tollitur translata in posteriorem: v. g. Si quod Titius mihi debebat, stipuler à Sempronio, etiam pupillo: hic enim interventu novæ personæ, scilicet Sempronii, novatur obligatio, & prior novationis jure tollitur. (2) Non idem juris est, si à servo stipuler, cum in personam servilem nulla cadat obligatio: ergo nec novatio.

Similis hujusmodi novationi est *Delegatio*: nam & *Delegatio* fit interventu novæ personæ, cum quis vice sua alium reum dat creditori, adeoque delegationi semper inest novatio: v. g. Debeo Titio centum & tantundem mihi Sempronius debet: hic si Sempronii personam pro me delegem Titio, nova obligatio erit, id est, novatio, & simul delegatio.

II. Fit novatio *inter easdem personas*, mutato vel genere & forma, vel qualitate obligationis: v. g. Si quod Titius mihi debet ex causa mutui, vel alterius contractus, ab eodem stipuler: vel si in posteriori obligatione ejusdem generis aliquid novi sit die, conditio-

ne,

(1) L. 29. ff. de l. 1. & l. 1. & l. 3. C. de nov. (2) L. 22. ff. de R. I. l. 11. de novat.

ne, ne fidejussore adjectis vel detractis: v. g. Si priori obligationi purè contractæ adjiciatur in posteriori conditio: quo casu tunc demum dicitur facta novatio, si conditio exstiterit.

*Quando partes contrahentes facta novatione censentur à priore obligatione recessisse?*

Omissa veterum dubitatione, qui hoc ex animo novandi, & sic ex conjecturis, ferè colligebant: (1) constituit Justinianus Imper. tunc solum novationem prioris obligationis fieri, si hoc ipsum à partibus contrahentibus expressum fuerit, quod nimirum hanc posteriorem stipulationem novandi animo interponant: (2) alioqui, non esse novationem, sed potius pristinæ obligationis confirmationem.

*Quæ obligationes dissensu mutuo dissolvuntur?*

*Et obligationes, quæ consensu contrahuntur, contracta utriusque partis voluntate dissolvuntur*: quia naturale est, ut unumquodque eo modo dissolvatur, quo colligatum est. (3) Et hoc quidem re integra adhuc, id est, quamdiu nequè novam datum, aut res tradita est. Alioqui contractum, ab una parte per traditionem impletum, nudus consensus non dissolvit: sed necesse est, rem traditam reddi, & pretium restitui. Dixi, *utriusque partis voluntate*: quia unus partis pacto, discedi ab emptione, locatione non potest, quamvis mandato & societati renuntiare unus possit, dum integra adhuc res est. Quia in his contractibus, utpotè gratuitis, quamdiu nullus

lius

(1) §. Sed cum hoc. (2) L. ult. C. de nov. (3) §. Fin. h. t. l. 35. l. 153. ff. de R. I.



lius coeperit interesse, locus est poenitentiae. At in aliis contractibus mox post utriusque consensum editum, alterutrius interest. Ideoque contractus implendus est, nec potest ab eo discedi invita altera parte.

*An etiam id obrineat in aliis civilibus negotiis?*

Planè: atque eò pertinet Regula Juris, *Omnia qua jure contrahuntur, contrario jure pereunt.* (1) Contrario, inquam, jure, quod æquè magnas vires habeat. Sic leges, contrariis legibus postea latis, tolluntur. Et testamenta infirmantur, non ex eo solo, quod testator noluerit ea valere, sed alio paribus solemnibus condito testamento: aut incisus tabulis. (2) Hinc codicilli, qui & ipsi quiddam juris habent, vim testamenti solemniter facti non evacuunt, nequè pactum, licet juris sit, stipulationem tollit, quamvis propter naturalem æquitatem, quæ pacto inest, pariat exceptionem. Igitur eadem juris solemnitas adhibenda in actu tollendo, quæ in eo incundo requiritur.

INS-

(1) L. 100. ff. de R. I. §. pen. de jur. nat. gent.

(2) §. pen. quibus modis test. inf.

# INSTITUTIONES IMPERIALES EROTEMATIBUS

DISTINCTÆ ET EXPLICATÆ.

LIB. IV. TIT. I.

## DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ ex delicto nascuntur.

Cùm sit expositum superiori libro de Obligationibus, quæ oriuntur ex contractu & quasi ex contractu, sequitur, ut de obligationibus, ex delicto & quasi ex delicto descendentium, dispiciamus.

*Obligationes ex delictis unde nascuntur?*

**O**mnès unius generis sunt, & ex re nascuntur, id est, ex maleficio, ex furto, rapina, damno, injuria. (1) Itaque rei nomine intellige hic factum. Sic tamèn hæ obligationes sunt ex re, sive maleficio, ut nihilominus accedere iis possit aliquid: (2) veluti injuria est facti, sed accedunt verba, vox, litteræ; similiter in aliis delictis sua instrumenta, ut armæ, & id genus alia.

Quid

(1) Text. his in princ. (2) Ut in l. pen. ff. de statu lib.